

lam glóriæ induit eum,
* Et ad portas paradísi
coronávit eum, allelúia.
✠ Induit eum Dóminus
loricam fidei, et ornávit
eum. — Et ad portas.

Lectio vij.

Prophetiæ dono fuit
illústris, et in animó-
rum sénsibus penetrándis,
mirífice eníuit. Virginitá-
tem perpétuo illibátam
servávit : idque assecútus
est, ut eos, qui puritátem
cólerent, ex odóre, qui
vero secus, ex foetóre di-
gnósceret. Abséntibus in-
térdu appáruit, iisque
periclitántibus opem tu-
lit. Ægrótos plúrimos et
morti próximos sanitáti
restituit. Mórtuum quo-
que ad vitam revocávit.
Cœléstium spirituum, et
ipsíus Deiparæ Vírginis
frequénter fuit apparitió-
ne dignátus; ac plurimó-
rum ánimas splendóre
circumfúsas in cœlum
conscéndere vidit. Dénique
anno salutis millési-
mo quingentésimo nona-
gésimo quinto, octávo
Kaléndas Júnias, in quem
diem inciderat festum
Córporis Christi, Sacro
máxima spíritus exsulta-
tióne perácto, ceterisque
functiónibus explétis, post

médiam noctem, qua præ-
dixerat hora, octogenárius
obdormívit in Dómino.
Quem Gregórius decimus-
quintus miráculis clarum
in Sanctórum número
rétilit.

✠. Iste homo. [120]

In iij. Nocturno, Homilia.
Sancti Evangelii, fratres.
de Comm. [123]
Pro S. Eleutherio Papa
et Martyre. **Lectio ix.**



Leuthérius, Nicó-
poli in Græcia na-
tus, Anicéti Pontí-
ficis Diáconus, Cómmodo
imperatóre præfuit Ecclé-
siæ. Huic iníto pontifi-
cátus súpplices lítteræ ve-
nérunt a Lúcio Britannó-
rum rege, ut se ac suos in
Christianórum número
reciperet. Quamóbrem
Fugátium et Damiánum,
doctos et pios viros, misit
in Británniam, per quos
rex et réliqui fidem susci-
perent. Hoc Pontífice Ire-
næus Polycárpi discipu-
lus Romam véniens, ab
eo benigne accéptus est.
Quo témpore summa pace
et quiéte fruebátur Ecclé-
sia Dei : ac per totum
orbem terrárum, máxime
Romæ, fides propagabá-
tur. Vixit Eleuthérius in
pontificátu annos quinde-

cim, dies viginti tres. Fecit
ordinatiónes tres mense
Decémbrí, quibus creávit
Presbyteros duódecim,
Diáconos octo, Episcopos
per diversa loca quinde-
cim : sepultúsque est in
Vaticáno prope corpus
sancti Petri.

Te Deum. 20.

In Laud. fit Commem.
simplicis, Aña. Fíliæ Je-
rúsalem, veníte et vi-
dète Mártýres cum coró-
nis, quibus coronávit eos
Dóminus in die solemni-
tátis et lætítiæ, allelúia,
allelúia. ✠. Pretiósá.

Vesp. a Capit. de sequ.

DIE XXVII. MAIL.
S. Bedæ Venerabilis
Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf.
non Pont. [112] præter
sequentia.

In utrisque Vesperis ad
Magnificat, Aña. O Doctor
óptime, Ecclésiæ sanctæ
lumen, beáte Beda, divi-
næ legis amátor, depre-
cáre pro nobis Fílium Dei,
allelúia.

✠. Amávit eum.

Oratio.

Deus qui Ecclésiám
tuám beáti Bedæ
Confessóris tui atque Do-

ctóris eruditióné clarífi-
cas : concéde propítius
fámulis tuis; ejus semper
illustrári sapiéntia et mé-
ritis adjuvári. Per Dómi-
num nostrum.

Et fit Commem. præced.

Aña. Hic vir despiciens
mundum et terréna, triúm-
phans, divítias cœlo con-
didit ore, manu, allelúia.

✠. Justum dedúxit.

Postea S. Joannis Papæ
et Mart. Aña. Lux perpé-
tua lucébit sanctis tuis
Dómine, et ætérnitas tém-
porum, allelúia.

✠. Sancti et justi.

Oratio.

Deus, qui nos beáti
Joánnis Mártýris tui
atque Pontíficis ánnua
solemnitate lætíficas : con-
cède propítius, ut cujus
natalítia cólimus, de ejús-
dem étiam protectióné
gaudeámus. Per Dómi-
num nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones.
Sapiéntiam. de Communi
Doctorum. [105]

In II. Nocturno.

Lectio iv.



Eda Præsbyter Gir-
vi, in Británniæ
et Scótiæ fínibus
ortus, septénnis sancto
Benedicto Biscópio Ab-

báti Wiremuthénsi educándus tráditur. Mónachus deinde factus vitam sic instituit, ut dum se ártium et doctrínarum stúdiis totum impénderet, nihil unquam de regulári disciplína remitteret. Nul- lum fuit doctrínæ genus, in quo non esset diligéntissime versátus; sed præcípua illi cura divinárum Scripturárum meditatio, quarum senténtiam ut plénius assequerétur, græci hebraicæque sermónis notítiam est adéptus. Tricésimo ætátis anno, Abbátis sui jussu Sacérdos in- iatiátus, statim, suasóre Acca Hagulstadénsi Epíscopo, sacros explanáre libros aggréssus est : in quo sanctórum Patrum doctrínis ádeo inhæsit, ut nihil proférret nisi illórum judicio comprobátum, eorúmdem etiám fere verbis usus. Otium perósus semper, ex lectióne ad oratió- nem transibat ac vicissim ex oratióne ad lectiónem : in qua ádeo ánimo inflam- mabátur, ut sæpe inter legéndum et docéndum lácrymis perfunderétur. Ne autem rerum fluxárum curis distraherétur, delátum Abbátis munus

constantissime detrectávit.

✠. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a se- ductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúia. ✠. Jus- tum dedúxit Dóminus per vias rectas, et ostén- dit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

SCiéntiæ ac pietátis laude Bedæ nomen sic brevi cláruit, ut sanctus Sérgius Papa de eo Romam arcesséndo cogitáverit; quo difficíllimis scilicet, quæ de rebus sacris exórtæ erant, quæ- stió nibus definiéndis conférret óperam. Emendán- dis fidélium móribus, fidei vindicándæ atque adse- réndæ libros plures conscripsit : quibus tantum sui apud omnes opinió- nem fecit, ut illum sanctus Bonifácus Epíscopus et Martyr Ecclésiæ lumen prædicáverit, Lanfráncus Anglórum Doctórem, concílium Aquisgranense Doctórem admirábilem díxerit. Quin ejus scripta eo adhuc vivénte, públice in Ecclésiis legebántur. Quod cum fieret, quóniam

ipsum sanctum mínime appelláre liceret, venerá- bilis título efferébant : qui deinde véluti próprius se- cútis etiám tempóribus semper hábitus est. Ejus autem doctrínæ eo vis effícacior erat, quod vitæ sanctimónia religiosisque virtútibus confirmabátur. Quamóbrem discipulos, quos multos et egrégios imbuéndos hábuit, stúdio et exémplo non lítteris modo atque sciétiis, sed etiám sanctitáte fecit in- signes.

✠. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia. ✠. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vij.

TÁte demum et labó- ribus fractus, gravi morbo corréptus est. Quo cum ámplius quinquá- ginta dies deténtus esset, consuétum orándi morem Scripturásque interpre- tándi non intercépít : eo namque témpore Evangé- lium Joánnis in populá- rium suórum usum án- glice vertit. Cum autem in Ascensiónis prælúdio

instáre sibi mortem per- sentíret, suprémis Ecclé- siæ sacraméntis muniri vóluit : tum sodáles am- plexátus, atque humi su- per cilício stratus, cum illa verba ingemináret, Glória Patri et Fílio et Spirítui sancto, obdormívit in Dó- mino. Ejus corpus, suavís- simum, uti fertur, spirans odórem, sepúltum est in monastério Girvénsi, ac póstea Dunclínium cum sancti Cuthbérti reliquiis translátum. Eum tam- quam doctórem a Benedic- tínis aliisque religiósus famíliis ac diocésibus cul- tum, Leo décimus tértius Póntifex máximus ex Sa- crórum Rítuum Congre- gatiónis consúlto, univer- sális Ecclésiæ Doctórem declarávit, et festo ipsíus die Missam et Offícium de Doctóribus ab ómnibus recitári decrevit.

✠. Iste homo. [120]

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. v.

IN illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit; in quo saliétur? Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ
Presbyteri.

In Evangelium. Vos estis
sal terræ.

IN terra humana
natura, in sale sa-
piëntia verbis si-
gnificatur. Salis enim na-
tura terra efficitur infru-
ctuosa. Unde quasdam
urbes legimus, victorum
ira, sale seminatas. Et hoc
convenit apostolicæ do-
ctrinæ, ut sale sapiëntiæ
compescat in terra huma-
næ carnis luxum sæculi,
aut fœditatem vitiõrum
germinare. Quod si sal
evanuerit; in quo salietur?
Id est, si vos, per quos
condiendi sunt populi,
propter metum persecu-
tionum, aut terrorem, ami-
seritis regna cœlorum, ex-
tra Ecclesiam positi, ini-
micorum opprobria susti-
netis non dubium. ¶ Vos
estis lux mundi: id est,
vos, quia vera luce illu-
minati estis, lux eis qui in
mundo sunt, esse debetis.
Non potest civitas abs-
condi supra montem po-
sita: id est, apostolica
doctrina super Christum
fundata; sive Ecclesia su-
per Christum ex multis
gentibus fidei unitate
constructa, et caritatis

bitumine conglutinata:
quæ sit tuta intrantibus,
et laboriosa aduentibus,
habitatores custodit, et
omnes inimicos secludit.

✠. Iste est qui ante Deum
magnas virtutes operatus
est, et de omni corde suo
laudavit Dominum: * Ipse
intercedat pro peccatis
omnium populorum, alle-
luia. ✠. Ecce homo sine
querela, verus Dei cultor,
abstinens se ab omni
opere malo, et permanens
in innocentia sua. — Ipse.

Lectio viij.

Nequæ accendunt lucer-
nam, et ponunt eam
sub modio, sed super can-
delabrum. Sub modio ergo
lucernam ponit quisquis
lucem doctrinæ commodis
temporalibus obscurat et
legit: super candelabrum
vero, qui se ita ministerio
Dei subjicit, ut superior
sit doctrina veritatis,
quam servitus corporis.
Aliter Salvator accendit
lucernam, qui humanæ
testam naturæ flamma
sue divinitatis implévit,
et hanc super candelabrum,
id est Ecclesiam,
posuit, quod in frontibus
nostris fidem suæ incar-
nationis fixit. Quæ lucer-
na non potuit sub modio

poni, id est, sub mensura
legis includi; nec in sola
Judæa, sed in universo
illuxit orbe.

✠. In medio Ecclesiæ
aperuit os ejus, * Et im-
plévit eum Dominus spi-
ritu sapiëntiæ et intellé-
ctus, alleluia. ✠. Jucundi-
tatem et exultationem
thesaurizavit super eum.
— Et. Glória Patri. Et.

Pro S. Joanne Papa
et Martyre. Lectio ix.

Ioannes Etruscus,
Justino seniore im-
peratore rexit Ec-
clesiam: ad quem profé-
ctus est Constantinopolim
auxilii causa, quod Theo-
doricus rex hæreticus di-
vexabat Italiã: cujus
etiam iter Deus miraculis
illustravit. Nam cum ei
nobilis vir ad Corinthum
equum, quo ejus uxor
mansueto utebatur, itine-
ris causa commodasset;
factum est, ut domino
postea remissus equus ita
ferox evaderet, ut frém-
tu et totius corporis agi-
tatione semper deinceps
dominam expulerit: tam-
quam indignaretur mulie-
rem recipere, ex quo se-
disset in eo Jesu Christi
Vicarius. Quamobrem illi
equum Pontifici donavé-

runt. Sed illud majus mi-
raculum, quod Constanti-
nópolis in aditu portæ au-
reæ, inspectante frequen-
tissimo populo, qui una
cum imperatore Pontifici
honoris causa occurrerat,
cæco lumen restituit. Ad
cujus pedes prostratus
etiam imperator, eum ve-
neratus est. Rebus cum
imperatore compositis in
Italiã rediit: statimque
epistolam scripsit ad om-
nes Italiæ Episcopos, ju-
bens eos Arianorum ec-
clesias ad catholicum ri-
tum consecrare; illud
subjungens: Quia et nos
quando fuimus Constanti-
nópolis, tam pro religiõne
catholica, quam pro regis
Theodorici causa, quas-
cúmque illis in partibus
eorum ecclesias reperire
potuimus, catholicas eas
consecravimus. Quod ini-
quissimo animo ferens
Theodoricus, dolo accer-
situm Pontificem Raven-
nam in carcerem conjecit:
ubi squalore inediaque
afflictus, paucis diebus
cessit e vita, cum sedisset
annos duos, menses no-
vem, dies quatuordecim:
ordinatis eo tempore Ep-
iscopis quindecim. Paulo
post moritur Theodoricus:

quem quidam eremita, ut scribit sanctus Gregorius, vidit inter Joannem Pontificem, et Symmachum patricium, quem idem occiderat, demergi in ignem Liparitanum: ut videlicet illi, quibus mortem attulerat, tamquam iudices essent ejus interitus. Joannis corpus Ravenna Romam portatum est, et in basilica sancti Petri sepultum.

Te Deum laudamus. 20.

In Laud. fit Commem. simplicis, Aña. Filiae Jerusalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis et lætitiæ, alleluia, alleluia. V. Pretiosa.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

DIE XXVIII. MAIL.
S. Augustini

Episc. et Conf. Duplex.
Omnia de Communi
Conf. Pont. [85] præter
sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui Anglorum gentes, prædicatione et miraculis beati Augustini Confessoris tui atque Pontificis, veræ fidei luce illustrare dignatus es: concede; ut, ipso interve-

niente, errantium corda ad veritatis tuæ redeant unitatem, et nos in tua simus voluntate concordēs. Per Dominum.

Commem. præced. Aña.

O Doctor. ut supra. 739.

V. Justum deduxit.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iii.



Augustinus Romæ in Lateranensi cænobio monachus, a Gregorio Magno cum sociis monachis fere quadraginta in Angliam missus est anno quingentesimo nonagesimo septimo, ut gentes illas ad Christum converteret. Erat eo tempore rex Ethelbertus in Cantio potentissimus, qui audita adventus Augustini causa, eum cum sociis Cantuariam, sui regni metropolim, invitavit; ibique manendi et Christum prædicandi facultatem eidem liberaliter concessit. Quare sanctus vir prope Cantuariam oratorium extruxit, ubi ipse aliquamdiu consedit, atque apostolicam vivendi rationem cum suis æmullatus est.

X. Inveni David servum

meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia. V. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei. — Manus.

Lectio v.

CELÉSTIS doctrinæ prædicatione plurimis firmata miraculis, ac vitæ exemplis insulanos illos demulsit, ut eorum plerisque ad christianam fidem perdūxerit, ac demum regem ipsum, quem cum in número suorum comitatu sacro fonte lustravit, summa cum lætitia Berthæ reginæ uxoris, quæ christiana erat. Olim in Natáli Domini, cum decem millibus et amplius baptismum in alveo fluminis Eboraci contulisset, quotquot ex iis morbo aliquo affecti erant, cum animæ salutē, corporis quoque sanitatem recepisse memoriæ proditum est. Jussu Gregorii ordinatus Episcopus, sedem Cantuariæ instituit in Ecclesia Salvatoris a se erecta, in qua monachos operis sui subsidiarios collocavit; et sancti Petri monasterium, quod postea et a suo nomine dictum est, in suburbanis constrú-

xit. Idem Gregorius usum pallii cum facultate ecclesiasticæ hierarchiæ in Anglia instituendæ ei concessit, quo novam etiam operariorum manum misit, nempe Mellitum, Justum, Paulinum, et Rufinianum.

X. Pósuí adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia. V. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus enim.

Lectio vi.

DISPÓSITIS ejus Ecclesiæ rebus, synodum habuit Augustinus cum Episcopis atque doctoribus veterum Britonum, qui in Paschæ celebratione aliisque ritibus ab Ecclesia Romana jamdudum dissidēbant. Sed cum eos neque apostolicæ sedis auctoritate, neque miraculis movere posset ut dissidio cessarent, prophético spiritu eis excidium prænuntiavit. Denique máximis pro Christo exantlatis laboribus, miraculis clarus, cum Mellitum Londinensi Ecclesiæ præfecisset, Justum Roffensi, suæ Laurentium, in cælum migravit septimo Kalendas Jú-

nias, Ethelbéto regnante, ac sepultus est in monasterio sancti Petri, quod exinde Cantuariensium Antistitum et aliquot regum conditorium fuit. Ejus cultum ferventi studio prosequuntur sunt Anglorum gentes, ac Leo decimus tertius Pontifex maximus ejus Officium et Missam ad universam extendit Ecclesiam.

R. Iste est. [93]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. x.

IN illo tempore : Designavit Dominus et alios septuaginta duos. Et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papae.

Homilia xvij. in Evang.

Dominus et Salvator noster, fratres carissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando vero operibus admonet. Ipsa etenim facta ejus, praecpta sunt : quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce enim binos in

praedicationem discipulos mittit : quia duo sunt praecpta caritatis, Dei videlicet amor, et proximi : et minus, quam inter duos, caritas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere caritatem dicitur : sed dilectio in alterum tendit, ut caritas esse possit.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriae induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. *V.* Induit eum Dominus loricae fidei, et ornavit eum. — Et ad portas.

Lectio viij.

ECce enim binos ad praedicandum discipulos Dominus mittit, quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui caritatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debet. Bene autem dicitur, quia misit eos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Praedicatorum enim suos Dominus sequitur : quia praedicatio praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis praecur-

runt : atque per hoc veritas in mente suscipitur.

R. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, alleluia. *V.* Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Hinc namque eisdem praedicatoribus Isaias dicit : Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc filiis Psalmista ait : Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Super occasum namque Dominus ascendit : quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit, quia mortem quam pertulit, resurgendo calcavit. Ei ergo, qui ascendit super occasum, iter facimus, cum nos ejus gloriam vestris mentibus praedicamus, ut eas et ipse postveniens, per amoris sui praesentiam illustret.

Te Deum laudamus. 20.

In ij. Vesp. Comm. seq.

DIE XXIX. MAII.

S. Mariae Magdalenae de Pazzis,

Virginis. Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum [137] praeter seq.

Añã. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum, alleluia.

V. Specie tua.

Oratio.

DEus virginitatis amator, qui beatam Mariam Magdalenam Virginem tuo amore succensam, caelestibus donis decorasti : da, ut quam festiva celebritate veneramur, puritate et caritate imitemur. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iii.

Maria Magdalena illustri Pazziorum genere Florentiae nata, fere ab incubulis iter perfectionis arripuit. Decennis perpetuam virginitatem vovit, susceptoque habitu in monasterio sanctae Mariae Angelorum ordinis Carmelitarum, se omnium virtutum exemplar exhibuit. Adeo casta fuit, ut

quidquid puritatem lædere potest, pēnitus ignoraverit. Quinquēnium, Deo jubente, solo pane et aqua transēgit, excēptis diēbus Dominicis, quibus cibis Quadragesimālibus vescēbatur. Corpus suum cilicio, flagellis, frigore, inēdia, vigiliis, nuditate atque omni pōenarū genere cruciābat.

✠. Propter veritatem, et mansuetudinē, et justitiam : * Et deducet te mirabiliter dēxtera tua, allelūia. ✠. Spēcie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procēde, et regna. — Et deducet te.

Lectio v.

Tanto igne divini amoris aestuābat, ut ei ferēdo impar, ingēsta aqua pectus refrigerāre cogerētur. Extra sensus frequēter rapta, diuturnas admirābiles ecstases passa est, in quibus et arcana cōlestia penetrāvit, et eximiis a Deo grātiis illustrāta fuit. His autem munita longum certāmen a principibus tenebrarū sustinuit, ārida, desolāta, ab omnibus derelicta, variisque tentatiōnibus vexāta; Deo sic permittente, ut invictae patientiæ, ac

profundissimæ humilitatis exemplar præberet.

✠. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, allelūia.

✠. Propter veritatem, et mansuetudinē, et justitiam. — Propterea.

Lectio vj.

Caritate erga proximum singulariter enituit : nam sæpe noctes ducēbat insōmnes, vel obeūdis sorōrum ministēriis, vel inserviēdo infirmis occupāta, quarum aliquādo ūlcera lambens sanāvit. Infideliū et peccatorū perditionē amāre deflens, se ad quælibet pro illōrum salutē tormenta parātā offerēbat. Multis ante obitum annis, universis cœli deliciis, quibus copiōse affluēbat, herōica virtūte renūntians, illud frequēter in ore habēbat : Pati, non mori. Tandem, longa et gravissima infirmitate exhāusta, transivit ad Sponsum die vigesima quinta Maii, anno millésimo sexcentésimo séptimo, explēto anno quadragésimo primo ætatis suæ. Eam multis in vita et post mortem miraculis claram Cle-

mens nonus sanctarū Virginum número ascriptus : cuius corpus in præsentem diem incorruptum conservatur.

✠. Afferentur Regi [148] In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos, fratres, de Comuni. [151]

In ij. Vesperis Commem. simplicis, ut infra.

DIE XXX. MAII.

S. Felicis I.

Papæ et Martyris.

Ānna. Lux perpétua lucēbit sanctis tuis Dōmine, et æternitas tēporum, allelūia. ✠. Sancti et justi.

Oratio.

Infirmittatem nostram respice omnipotens Deus : et quia pondus propriæ actionis gravat, beati Felicis Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dōminum.

Lectio iij.



Felix Romānus, patre Constantio, Aureliano imperatore, præfuit Ecclesiæ. Constituit ut Missa supra memórias et sepūlcrā Martyrum celebraretur. Qui cum mense Decēmbri habuisset ordinatiōnes duas, et creasset Pres-

byteros novem, Diāconos quinque, Episcopos per diversa loca quinque, martyrio coronatus, via Aurēlia sepelitur in basilica, quam a se ædificatam dedicarat. Vixit in pontificatu annos duos, menses quatuor, dies viginti novem. Te Deum. 20.

Ad Laudes, Ānna. Filie Jerūsalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dōminus in die solemnitatis et lætitiæ, allelūia, allelūia. ✠. Pretiosa.

DIE XXXI. MAII.

S. Angelæ Mericiæ

Virginis. Duplex.

Omnia de Comuni Virginum [137] præter sequ.

Oratio.

Deus, qui novum per beatam Angelam sacrarum Virginum collegium in Ecclesia tua florescere voluisti : da nobis ejus intercessione angelicis moribus vivere; ut terrenis omnibus abdicatis, gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Dōminum.

Fit Commem. S. Petronillæ Virginis, Ānna. Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margar-

tas : inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam, alleluia.

℞. Diffusa est gratia.

Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster : ut sicut de beata Petronilla Virginis tue festivitate gaudemus, ita pie devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio II.



Angela Mericia Decentiani, Veronensis diocesis oppido, ad lacum Benacum in ditione Veneta piis orta parentibus, a prima aetate virginitatis lilius, quod perpetuo servare statuerat, sedula sepsit. Ab omni muliebri ornatu abhorrens egregiam vultus formam, pulchramque caesariem studiose foedavit, ut caelesti dumtaxat animarum Sponso placeret. In ipso autem adolescentiae flore parentibus orbata, austerioris vitae desiderio in desertum locum aufugere tentavit : sed ab avunculo prohibita novit praestare domi, quod in solitudine non licuit. Cilicio ac flagel-

lis frequenter usa ; carnem non nisi infirma valetudine, vinum in Nativitatis et Resurrectionis Dominae tantum celebritate, complures vero dies nihil omnino degustavit. Orationi dedita brevissimum humi carpebat somnum : daemone vero sub lucentis Angeli forma sibi illudere conantem agnovit protinus, et conjecit in fugam. Tandem paternis bonis abdicatis, et habitum ac regulam Tertii ordinis sancti Francisci amplexa, evangelicam paupertatem virginitatis laudi conjunxit.

℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : * Et deducet te mirabiliter dextera tua, alleluia. ℞. Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. — Et deducet.

Lectio III.

Nillum pietatis officium erga proximos omittens, pauperibus, quidquid sibi ex mendicatio victu superesset, largiebatur ; libenter ministrabat aegrotis, pluraque cum magna sanctitatis fama peragravit loca, ut vel solatio esset afflictis,

Lectio VI.

vel reis veniam impetraret, vel infensos invicem reconciliaret animos, vel e vitiorum caeno scelerosos revocaret. Angelorum pane, quem unice esuriebat, frequentissime refecta, tanta caritatis vi ferebatur in Deum, ut saepius extra sensus raperetur. Sacra Palestinae loca summa cum religione obivit, quo in itinere et visum, quem ad Cydonias appulsa oras amiserat, eodem regressa recuperavit, et barbarorum captivitatem ac naufragium imminens divinitus evasit. Romam denique firmam Ecclesiae petram veneratūra, et amplissimae jubilaei veniae percupida, sedente Clemente septimo, accessit ; quam summus Pontifex allocutus, ejusdem sanctimoniam suspexit, et commendavit summo pere ; nec ab Urbe ipsam abire ante permisit, quam alio caelitus vocata magnovit.

℞. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae, alleluia. ℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

BRixiam itaque, ubi domum ad sanctae Aphrae templum conduxit, reversa, novam ibi virginum societatem, sicut caelesti voce ac visione mandatum sibi fuerat, sub certa disciplina, sanctisque vivendi regulis constituit, quam sanctae Ursulae invictae Virginum ducis patrocinio ac nomine insignivit : eam vero perennem futuram morti proxima praedixit. Tandem prope septuagenaria, dives meritis evolavit in caelum sexto Kalendas Februarii anni millesimi quingentesimi et quadragésimi, cujus cadaver per ipsos triginta dies inhumatum, flexibile, ac vivo simillimum perseveravit. Demum in sanctae Aphrae templo inter ceteras, quibus illud abundat, Sanctorum reliquias repósito, plurima ad ejus sepulcrum agi statim coepere miracula : quorum fama late diffusa, non Brixiae modo, et Decentiani, sed alibi etiam vulgo coepit nuncupari Beata, ejusque imago aris imponi ; imo sanctus ipse Carolus Borromaeus non multis post annis dignam, quae

ab apostólica sede in sanctarum Virginum album referratur, Brixiae palam asservit. Cultum vero illi jamdiu a populis exhibitum, et tum locorum ordinariis probatum, tum pluribus etiam summorum Pontificum indulgentis munus, Clemens Papa decemtertius solemniter decreto ratum habuit, ac confirmavit. Eam tandem, novis miraculis rite probatis insignem, Pius Papa septimus solemniter canonizatione in Vaticana basilica peracta, die vigesima quarta Maii anno millésimo octingentesimo septimo, sanctarum Virginum catalogo ascripsit.

R. Afferentur. [148]

In iij. Nocturno, Homilia.

Saepe vos. **de Comm.** [151]

In Laud. fit Commem.

simplicis, Aña. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum, alleluia. **R.** Specie tua.

Festa Junii.

DIE II. JUNII.

SS. Marcellini, Petri, atque Erasmi Martyrum.

Aña. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine,

et aeternitas temporum, alleluia. **R.** Sancti et justi.

Oratio.

Deus qui nos annua beatorum Martyrum tuorum Marcellini, Petri, atque Erasmi solemnitate laetificas: praesta quaesumus, ut quorum gaudemus meritis, accedamus exemplis. Per Dominum nostrum.

Lectio ij.

Etrus exorcista Diocletiano imperatore, Romae a Sereno iudice propter christianae fidei confessionem missus in carcerem, Paulinam, Artemii, qui carceri praerat, filiam a daemone agitatum liberavit. Quo facto et parentes puellae cum tota familia, et vicinos, qui ad rei novitatem concurrerant, Jesu Christo conciliatos ad Marcellinum Presbyterum adduxit, a quo omnes baptizati sunt. Quod ubi rescivit Serenus, Petrum et Marcellinum ad se vocatos asperius objurgat, et ad verborum acerbitatem, minas ac terrores adjungit, nisi Christo renuntient. Cui cum Marcellinus christiana libertate responderet; pugnis

contusum, et a Petro sejunctum, nudum includit in carcerem stratum vitri fragmentis, sine cibo ac sine lumine. Petrum item constringi imperat arctissimis vinculis. Sed cum utriusque ex tormentis fides et animus cresceret, constanti confessione, et abscisso capite, illustre testimonium Jesu Christo dederunt.

Lectio iij.

Rasmus Episcopus, imperatoribus Diocletiano et Maximiano, in Campania plumbatis et fustibus caesus, resina quoque, sulphure, plumbo liquefacto, et ferventi pice, cera, oleoque perfusus, inde tamen integer et inviolatus evasit. Quo miraculo multi se ad Christi fidem converterunt. Verum is iterum detrusus in carcerem, constrictus ferreis gravissimisque vinculis, inde ab Angelo mirabiliter ereptus est. Deinde Formis a Maximiano variis affectus suppliciis, tunicaque aerea candenti indutus, illa etiam tormenta divina virtute superavit. Denique plurimis et in fide

confirmatis, et ad fidem conversis, insignem martyrii palmam adeptus est. Te Deum. 20.

In Laudibus, Aña. Filiae Jerusalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis et laetitiae, alleluia, alleluia. **R.** Pretiosa.

DIE IV. JUNII.

S. Francisci Caracciolo

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. [112] praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatum Franciscum novi ordinis institutorem, orandi studio, et poenitentiae amore decorasti: da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orantes, et corpus in servitum redigentes, ad coelestem gloriam pervenire mereantur. Per Dominum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Franciscus, dictus antea Ascanius, ex nobili familia Caracciolo in oppido san-